



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Canon VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

de paramentis sacris, aliisque rebus necessariis ad Divinum cultum subministrandis per Seminarium, & circa deputationem aliorum Ministrorum pro gubernio eorum, quæ spectant ad dictum Seminarium, in quibus terminis cessare visa est facultas Capitulo tributa eligendi Ministros, ut in simili dictum fuit in *decis. 1083. per tot. coram Emerix junior.*

46 Deveniendò ex his ad electionem passivam in omnem casum prætenfam per Capitulum, resolutum fuit *Superiores Seminarii non teneri eligere Ministros de gremio Capituli*: qui enim habet à jure facultatem eligendi, seu nominandi non coarctatur ad certum genus personarum, sed potest semper quemcumque sibi magis beneficium eligere, seu deputare, ut moment *Gutier. practic. quæst. lib. 2. quæst. 67. nu. 3. Castill. contro. tom. 5. cap. 67. nu. 4. & 6. Rota coram Emerix jun. decis. 762. num. 4. & seqq. & in rec. decis. 96. nu. 17.*

par. 17. Idque quoad electionem, & deputationem Sacristæ conforme etiam erat dispositioni Cæremonialis Episcoporum *lib. 1. cap. 6. ibi = Assumendus autem est de gremio ipsius Ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, nec adversari videbatur decisio 645. nu. 2. & seqq. coram Seraphino*, in qua firmatur, quod cum regimen Ecclesiæ pertineat ad Capitulum, ideo deputatio Ministrorum facienda sit ab eodem Capitulo de gremio Capitulari, quia prædicta decisio fundatur in consuetudine, ut ex lectura. Unde potius retorqueri potuisset, quia si in præsentì deputatione Ministrorum, semper fieri consuevit ab Abbate quoad personas sibi benevitas; Ita pariter nunc facienda videtur ad libitum Superiorum Seminarii, in quod per sæpeditam unionem subjectivam transfusa, & incorporata fuerunt omnia jura eidem Abbati competentia.

Et ita utraque &c.

C A N O N VII.

CONCILIUM TRIDENTINUM *Sess. XXIV. Cap. III.*

PAtriarchæ, Primate, Metropolitan, & Episcopi propriam Diocesim per se ipsos, aut si legitimè impediti per suum generalem Vicarium, Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant: Et infra. Patroni verò in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat; sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum redditus in usus Ecclesiæ necessarios, & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

C O M M E N T A R I U M.

EX hoc Canone sequentes deducuntur conclusiones.

Prima = PATRONUS NON POTEST SE INGERERE IN IIS, QUÆ AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM SPECTANT, NEC SE IMMISCIERE IN VISITATIONE ORNAMENTORUM ECCLESIE, NEC IN PROVENTIBUS BONORUM, ET FABRICARUM EJUSDEM, NISI ID SIBI RESERVATUM FUERIT IN LIMINE FUNDATIONIS =

Secunda = POTEST PATRONUS IN LIMINE FUNDATIONIS BENEFICII APPONERE CONDITIONES SIBI BENEVI-
SAS = Utramque conclusionem probant omnes Auctoritates superius relatae Par. II. Can. XXVII. in Commentario, quibus addo Barbof. hic num. 45. Frass. de Patron. Reg. tom. 1. cap. 8. num. 38. cap. 31. num. 15. tom. 2. cap. 61. nu. 15. & 18. Capon. discept. 273. num. 9. tom. 4.

I Non contenti sapientissimi Patres inhibere Patronis superius Can. V. usurpationem, & alienationem jurium, bonorum, & fructuum Ecclesie Patronalis, prohibuerunt etiam eisdem hic se ingerere in administratione Sacramentorum, proventuum, bonorum, & fabricarum ejusdem Ecclesie, ac se immiscere in visitatione ornamentorum illius, nisi in limine foundationis fuisset id de consensu legitimi Superioris eis reservatum, & tota cura visitandi Ecclesiam, & ejus ornamenta, ac distribuendi, & applicandi redditus Ecclesie Patronate, & Fabricae commissa fuit arbitrio, & dispositioni Episcopi Fagnan. in cap. Conquerente de offic. Ordin. nu. 34. Capon. discept. 1. num. 38. & discept. 56. nu. 3. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 24. nu. 1. & seqq. Barbof. hic nu. 45. vers. Et Fabricarum redditus.

Ultra Casus utramque conclusionem concernentes supra examinatos dicta Par. II. Canon. XXVII. & hic Can. V. nonnullos alios in presenti Canone subjicio ad secundam conclusionem spectantes.

A R G U M E N T U M.

Imposito à Fundatore Cappellaniæ onere Cappellano unius Missæ quotidianæ in perpetuum durante sæculo, an hujusmodi onus duret ultra spatium centum annorum, vel potius transacto dicto termino, remanserit extinctum.

- 1 *Vox Sæculum est apta nata non solum ad exprimendum spatium centum annorum, sed etiam ad denotandum mundum, ut num. 4.*
- 2 *Legatum pium relictum cum verbis perpetuitatem denotantibus, ad centum annos restringitur.*
- 3 *Imposito onere celebrandi Missam in perpetuum durante sæculo illud dicitur durare ultra spatium centum annorum, non vero hoc termino transacto remansisse extinctum.*

C A S U S I.

Quatuor Casus hic expono in S. Congregatione Concilii propositos, me studente apud R. P. D. Lambertinum meritissimum ejusdem S. Congregationis Secretarium, ex cujus verbis, & dictis infrascripta accipies, & legere etiam poteris in Foliis impressis, & per ipsum doctissimè de more extensis, quæ Eminentissimis Patribus ejusdem S. Congregationis solent distribui.

Primus est: Quidam Testator fundavit Cappellaniam in Ecclesia A, & in limine foundationis injunxit Cappellano onus dicendi, & celebrandi in dicta Ecclesia pro sua, suorumque Animabus, singulis diebus in perpetuum, durante sæculo, unam Missam planam; & semel in anno in die ejus obitus, seu alia immediatè sequenti, si causa intervenerit legitima, propter quam differri habeat; unam Missam solemnem mortuorum in cantu cum suis responsoriis, & Officium Mortuorum; dictus Testator voluit, & mandavit debere dici, & cele-

& celebrari, ac fieri singulis annis in perpetuum; donec cœlum, & terra durabunt.

Quoad perpetuam celebrationem Missæ solemnæ, & Anniversarii, nulla est difficultas; sola disputatio reducitur ad Missam planam singulis diebus recitandam, de hac enim quæritur, an ejus onus durare debeat ultra sæculum, hoc est ultra metam centum annorum, vel potius elapsis centum annis, cessare debuerit.

Plura suadent onus Missæ planæ non se extendere ultra metam centum annorum, tum quia quando vox *Sæculum* usurpatur ad denotandum tempus, & mensuram temporis, spatium significat tantummodo centum annorum, tum quia non desunt magni nominis Auctores, qui censent legatum pium relitum cum verbis perpetuitatem denotantibus ad centum annos restringi, ut latè videri potest apud *Vivium decis. lib. 3. decis. 406. nu. 18. & 19.* & tandem quia quando Testator voluit perpetuitatem absolutam, & indefinitam, eam expressit verbis clarissimis, uti colligitur ex legato Missæ solemnæ, & Anniversarii *singulis annis in perpetuum donec cœlum, & terra durabunt*; Hinc inferre licet, quod quando in legato Missæ planæ singulis diebus celebrandæ, usus est illis verbis *in perpetuum durante sæculo*, intellexit de perpetuitate limitata ad tempus centum annorum, multoque magis cum verba illa *durante sæculo*, non præcedant, sed subsequantur hæc alia *in perpetuum*, in hoc quippè rerum statu verba priora *in perpetuum* restringuntur in sequentibus *durante sæculo*.

His tamen non obstantibus placuit Sacræ Congregationi Concilii in una *Bononiensis* 17. Decembris 1718. ubi similis casus disputabatur, definire dictum onus Missæ planæ durare ultra spatium centum annorum, non verò dicto termino transacto, remansisse extinctum; Quia, quando agitur de legato pio, & signanter de legato Missarum verba *in perpetuum* non restringuntur ad centum annos, sed ad quodcumque tempus extenduntur, uti latè probant *Panciroli. consil. 175. per tot. Gratian decis. 22. per tot. Ciarlin. controvers. lib. 2. cap. 143. per tot.* cum improbabilis sit, & sensui Ecclesiæ repugnans nonnullorum Theologorum assertio, quod Ani-

mæ non detineantur in Purgatorio ultra decem annos, vel ut alii dicunt ultra metam centum annorum *Bellarmin. controvers. tom. 2. lib. 2. de Purgatorio cap. 9.*

4 Insuper vox *Sæculum* non solum est apta nata ad exprimendum spatium centum annorum, sed etiam ad denotandum mundum juxta illud: *Venturus est judicare sæculum per ignem*: quo stante idem erit dicere durante sæculo, ac durante mundo.

ARGUMENTUM.

Canonico adjecta lege à Fundatore in limine foundationis Canonice interessendi Divinis Officiis, ac lucrandi distributiones, prout interfunt, & lucrantur alii Canonici, an, & quando ipsi concedenda sit jubilatio?

SUMMARIUM.

- 1 Jubilatio non fuit introducta à Jure Canonico, sed à statutis particularibus Ecclesiarum, vel consuetudine, & nu. 2. & 3.
- 4 Jubilatio ut concedatur Canonico constare debet de servitio quadragenario cum qualitate, continui, & laudabilis.
- 5 In computatione temporis quadragenarii an habenda sit ratio temporis, quo canonicus absuit à servitio Ecclesiæ, obtentis absentiae indultis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, velut Ecclesiæ sua negotiis vacaret, vel ratione munerum. Et num. 6. 7. 8. 16. & 21.
- 9 Quadragenarium servitium an sufficiat, quod sit difforme, vel potius requiratur, quod sit uniforme. Et num. 10. 11. 12. 17. & 22.
- 13 An parvus Canonico, vel Beneficiatorum numerus pro servitio Ecclesiæ impedire valeat Indultum Jubilationis Canonico, vel Beneficiato? & num. 18. & 23.
- 14 Episcopus cogere potest Jubilatos ad interessendum, si Ecclesiæ servitium, & cultus Divinus detrimentum patiantur. & num. 19. & 24.
- 15 Canonicus Jubilatus non tenetur ad localem residentiam. & num. 20. & 25.

CA-

C A S U S II.

Secundus Casus est; Quidam Canonicus, cui in limine foundationis Canonicatus adjecta fuit à Fundatore lex interessendi Divinis Officiis, ac lucrandi distributiones, prout interfunt, ac lucrantur alii Canonici; docto de quadragenario servitio per eum præstito Ecclesiæ Cathedrali, supplicavit pro jubilatione; quæritur an hæc sit illi concedenda?

1 Præsupponendum est; quod licet injure Canonico cautum non reperiatur, quod Canonicus, sive Beneficiatus, qui Ecclesiæ inservivit spatio quadraginta annorum frui debeat exemptione à servitio, & hoc minimè obstante, sit admittendus ad participationem fructuum, & distributionum, uti benè ponderat *Navar. conf. 12. lib. 3. de Cleric. non resid.* ex quo fortasse infirmitas Canonicorum, & Beneficiatorum, aut gravis eorumdem ætas remedium habent Coadjutoria, aut Indulti vacandi à Choro, durante infirmitate, quemadmodum prosequitur *Card. de Luc. de Can. disc. 15. num. 6. & seqq.*

2 In Cathedralibus nihilominus, & Collegiatis Ecclesiis, in quibus adsunt statuta, vacationem à Choro, quæ jubilatio dicitur, concedentia Canonicis, & Beneficiatis post servitium annorum quadraginta, jam resolutum est à S. Congregatione Concilii, eadem non esse improbanda, sed toleranda, quæ resolutio à Summo Pontifice Gregorio XIII. confirmationem obtinuit juxta plenè relata apud *Garz. de benef. par. 3. cap. 2. S. 1. numer. 344.*

3 Et quod notabilius est, etiam si non adsint statuta, praxis inolevit, ut ab eadem S. Congregatione indulta jubilationis concedantur Canonicis, & Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum suis Ecclesiis inservierunt, nè cœlestis Militiæ Milites deterioris sint conditionis, quam Milites Militiæ sæcularis, quibus à jure Civili vacatio à muneribus, dummodo veterani essent, liberaliter concessa est, juxta *Text. in l. à muneribus 6. ff. de vacat. & excusat. munerum, & in l. 1. cod. de veteranis lib. 12.* & notavi superius *Par. II. Can. XXVII. Caf. XI. nu. 27.*

4 Et praxis memorata non absolutè, & sim-

pliciter sibi vindicat locum, sed in hypothese, in qua plenè doceatur de servitio præstito spatio annorum quadraginta, & quidem cum qualitate *continui, & laudabilis*, uti non solum colligitur ex formula indulti, sed etiam desumitur ex rescriptis ejusdem S. Congregationis, in quibus vel denegata fuit jubilatio, non obstante servitio annorum quadraginta, ex quo ipsum non fuerat continuum & laudabile, quemadmodum contingit in *Romana jubilationis 6. Augusti 1712. lib. 62. Decret. relat. ubi supra dicto Caf. XI. num. 26.* vel jubilatio quamvis concessa, fuit revocata, quia ostensum fuit, servitium annorum quadraginta non fuisse continuum, & laudabile, uti pariter contingit in *Maceraten. jubilationis proposita die 22. Febr. 1698. & resoluta die 8. Martii ejusdem anni lib. 48. Decret.*

Hæc, quæ hucusque deducta sunt, nullam admittere posse videntur controversiam. Difficultas autem tota in hac materia reducitur ad quatuor capita; Primum difficultatis caput respicit tempus pro jubilatione necessarium; Secundum pertinet ad qualitatem servitii ad eundem effectum requisiti; Tertium spectat ad Ecclesiæ qualitatem, in qua Canonicus, vel Beneficiatus inservivit; Et quartum tandem refertur ad exemptionem competentem Jubilato, post jubilationem indultam.

5 A primo Capite initium desumendo, instant nonnulli pro jubilatione, & de quadragenario docent servitio, sed in computatione temporis quadragenarii, contendunt habendam esse rationem temporis, quo absuerunt à servitio Ecclesiæ, obtentis absentia indultis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel ut Ecclesiæ suæ negotiis vacarent, vel ratione munerum, uti sæpè accidit in Basilicis Urbis, in quibus nonnulli Canonici, & Beneficiati, propter munera ipsis à Summo Pontifice collata, aut indultum habent vacandi à servitio Chori *pro diebus, & horis, pro quibus fuerint in aliis commissis muneribus occupati*, vel indultum habent absolutè, & simpliciter vacandi à choro, quoad usque munus duraverit, quod potissimum accidit in his, qui præfectoras, & officia obtinent extra Urbem.

- 6 In terminis absentiae ex causa infirmitatis S. Congregatio Concilii aliàs censuit absentiam praedictam non praedictare jubilationi, dummodo infirmitas fuisset ab Ordinario approbata, & ejusdem S. Congregationis accessisset indultum, uti videri potest in *Bergomen. jubilationis proposita 4. Julii, & resoluta die 8. Augusti 1716. supra Par. II. Can. XXVII. dicto Cas. XI. num. 29.* in qua agebatur de absentia à servitio Chori pro horis Matutini, & Primae continuata spatio decem annorum, & habitis à S. Congregatione necessariis indultis.
- 7 In terminis absentiae causa studii, & quidem praevia licentia S. Congregationis disputatum fuit, & resolutum non esse dicti temporis habendam rationem in computo jubilationis, uti videri potest in *Nepesina jubilationis 28. Novembris 1711. lib. 61. Decret.* Et in terminis demum Indultarii, qui propter officium Scriptoratus Bibliothecae Vaticanae indultum habuerat vacandi à servitio Chori pro diebus, & horis, articulo examinato, dictum fuit non esse à jubilatione excludendum propter absentiam, quae horis, & diebus praedictis contigisse dicebatur, uti videri potest in *Romana jubilationis proposita 28. Novembris, & resoluta 12. Decembris 1699. lib. 49. Decret.* Absens etenim causa infirmitatis habetur pro praesente, & interessente, etiam ad effectum consequendi distributiones, quod ipsum verificatur in Indultario pro diebus, & horis; at secus se habet res in absente causa studii, cui de jure distributiones non competunt, & si fructus in distributionibus consistant, non aliter concedi consuevit indultum, quam dimissa tertia parte.
- 9 Transeundo ad qualitatem servitii pro jubilatione necessarij nonnulli instant pro jubilatione, & pariter docent de quadragenario servitio, sed illud non est uniforme, sed difforme, vel quia in una Ecclesia tanquam Canonici spatio 20. annorum, & in alia, per alios 20. annos tanquam pariter Canonici Choro interfuerunt; aut in una tanquam Beneficiati, in alia tanquam Canonici inservierunt; vel quia in una, & eadem Ecclesia inservierunt per totum temporis spatium, sed partim tanquam Clerici Beneficiati, partim tanquam Beneficiati, & aliquando partim tanquam Beneficiati, partim tanquam Canonici, vel tandem quia per decem, aut duodecim annos inservierunt tanquam Coadjutores, & per reliquum tempus tanquam Titulares.
- 10 In terminis ejus, qui inservierat partim tanquam Clericus Beneficiatus, partim tanquam Beneficiatus Ecclesiae Lateranensis, resolutum fuit, id non obstare jubilationi, & tempora praedicta esse conjungenda, uti colligitur ex allegata *Romana jubilationis 12. Decembris 1699.*
- 11 Fuit è contra denegata jubilitio cuidam, qui in Ecclesia S. Mariae Majoris Civitatis Baruli prius inservierat in qualitate Clerici, deinde Subdiaconi, & postremò Præsbyteri, uti habetur in *Tranen jubilationis proposita 16. Decembris 1702. & resoluta die 13. Januarii 1703. lib. 53. Decret.*
- 12 In terminis autem ejus, qui inservierat partim tanquam Coadjutor, partim tanquam Principalis, constans videtur fuisse opinio S. Congregationis faciendam esse temporum conjunctionem, cum agitur de jubilatione, uti videre est in *Brixien. 27. Martii 1683. in Novarien. 4. Augusti 1691. in Bergomen. 11. Februarii 1696. & in alia Bergomen. jubilationis proposita 4. Julii, & resoluta 8. Augusti 1716. lib. 66. Decret.*
- 13 Succedit Ecclesiae qualitas, cui Canonici, vel Beneficiatus inservivit, & de hac loquendo, aliquando disputari contingit, an parvus Canonorum, vel Beneficiatorum numerus, qui remanet pro servitio Ecclesiae, impedire valeat indultum jubilationis Canonico, vel Beneficiato, qui laudabiliter inservivit spatio annorum quadraginta. A congregatione die 3. Septembris 1718. concessa fuit jubilitio Praeposito Cathedralis Ecclesiae Brittonorien. non attenta oppositione Capituli reclamantis, quod tresdecim erant Canonici, & quatuor Mansionarii addicti servitio Ecclesiae, & quod tres ex Canonici erant cura Animarum praecipua, duo mala valetudine praepediti, & alter jubilationis jam fruens indulto. Et quod fortius est, licet novem essent Canonici, comprehenso Praeposito, & dempto uno, qui ad Organum, altero, qui ad Confessionarium adstare debeat, demptisque alijs tribus, qui Altari celebrando assistere tenebantur, & sic diceretur tres

tres tantummodo in Choro esse man-
ros, S. Congregatio censuit esse Præpo-
sito concedendum jubilationis indultum,
uti videre est in *Ripana jubilationis* 29. No-
vembrii 1710. lib. 60. Decret.

- Supereft, ut fermo fiat de exemptione,
quæ competit Jubilato post concessam ju-
bilationem. In formula jubilationis indul-
getur, ut Jubilatus abesse possit à servi-
tio Chori, & interim frui fructibus, &
14 distributionibus. Si Ecclesiæ servitium,
& cultus Divinus detrimentum patiantur,
disputatum fuit, & resolutum in S. Con-
gregatione die 27. Septembris 1659. quod
Episcopus cogere poterat Jubilatos ad
inserviendum, uti videri potest in *Aqui-
lana* 27. Septembris 1659. ad tertium du-
bium lib. 21. Decret. & in *Sabinen.* 2. Octo-
bris 1717. lib. 67. Decret. & facit Textus
in cap. *Cum ad hoc de Cleric. non resid.* in
quo Gregorius IX. statuit, quod Privile-
giati super absentia redire cogantur, si
Ecclesia patitur Ministrorum defectum.
- 15 Quoad residentiam Jubilatorum, binæ
ad sunt resolutiones ejusdem S. Congre-
gationis, altera in *causa S. Angeli in Vado*
15. Aprilis 1690. lib. 4. Decret. fol. 256.
in qua dictum fuit Canonico Jubilato de-
beri distributiones, nec ad residentiam
localem teneri; altera in *causa Patavina*
jubilationis 9. Junii 1714. lib. 64. Decret.
fol. 217. in qua similiter dictum fuit de-
beri Canonico Jubilato distributiones, &
eum non esse obligatum ad residendum.
Hinc proposita fuerunt in S. Congrega-
tione infra scripta dubia.
- 16 Primo = *An indulgenda sit jubilatio Ca-
nonicis, & Beneficiatis, qui spatio quadra-
ginta annorum Ecclesiis inservierunt; licet
dicto temporis spatio cum debitis licentiis,
& indultis absuerint ab Ecclesiis vel ex cau-
sa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel
pro sua Ecclesiæ servitio, vel ratione mune-
rum, pro quibus obtinuerunt indulta absen-
di pro diebus, & horis, vel indulta simpli-
citer, & absolutè absendi, ab Ecclesia, du-
rante officio ipsis commisso =*
- 17 Secundo = *An indulgenda sit jubilatio
illis, qui inservierunt spatio annorum qua-
draginta, sed partim in una Ecclesia, par-
tim in alia, aut tanquam Canonici in ambu-
bus, aut tanquam Beneficiati in una, & Ca-
nonici in alia, nec non in illis, qui in una,
& eadem Ecclesia per totum tempus inserv-*

*vierunt, sed partim tanquam Clerici Bene-
ficiati, partim tanquam Beneficiati, & ali-
quando partim tanquam Beneficiati, partim
tanquam Canonici, vel partim tanquam
Coadjutores, & partim tanquam Principa-
les & Titulares =*

- 18 Tertio = *An indulgenda sit jubilatio il-
lis, qui inservierunt spatio annorum qua-
draginta, non obstante parvo numero alio-
rum, qui remanent addicti Ecclesiæ servi-
tio, & quis sit parvus numerus inservien-
tium in casu, & ad effectum de quo agi-
tur =*
- 19 Quarto = *An non obstante jubilationis
indulto, Jubilatus cogi possit ad inservien-
dum, si Divinus cultus detrimentum pa-
tiatur =*
- 20 Quinto = *An non obstante jubilationis
indulto, Jubilatus teneatur ad residendum,
licet non teneatur ad interessendum =*
- 21 Quibus in causa Dubia jubilationum
17. Decembris 1718. fuit rescriptum: Ad
primum = *Affirmativè quoad absentes ex
causa infirmitatis cum debitis diligentis,
& indultis, vel pro sua Ecclesiæ servitio,
vel cum indultis absendi pro diebus, & ho-
ris; Negativè autem quoad absentes ex cau-
sa studiorum, & quoad habentes indulta ab-
sendi absolutè, durante officio =* Ad secun-
dum = *Negativè quoad primam, & affir-
mativè quoad secundam partem =* Ad ter-
tium = *Dabitur resolutio in casibus particu-
laribus =* Ad quartum = *Affirmativè: Ad
25 quintum; Negativè juxta decreta.*

His omnibus præsuppositis jam patet
affirmativa resolutio præsentis quæstio-
nis, cum Canonicus, qui ex lege funda-
tionis tenebatur interesse Divinis Officiis;
prout intersunt alii Canonici Cathedra-
lis, doceat de laudabili, & continuo qua-
dragenario servitio, per eum tanquam
Canonicum in Ecclesia præstito.

ARGUMENTUM.

An Hæres Fundatoris in limine foundationis Canonicatus imponere possit onus Missarum; quando de eo Fundator in testamento nullam fecerit mentionem; adeò ut Præsensus ad Canonicatum teneatur illud adimplere.

SUMMARIUM.

- 1 *Præsensus ad Canonicatum tenetur ad onus Missarum, ab hærede in limine foundationis de consensu Ordinarii, impostum, etiamsi Fundator de hoc onere in testamento nullam fecerit mentionem.*
- 2 *Ad cognoscendum qualitates, & onera Canonicatus attendenda est illius erectio consensu Ordinarii munita, & non testamentum.*

CASUS III.

CAsus Tertius est. Quædam Testatrix in suo ultimo testamento hæredem sibi scripsit Franciscum ejus virum, cui onus imposuit erigendi unum Canonicatum, sive Cappellaniam in Ecclesia Cathedrali Nepefina; post mortem autem dicti Francisci mandavit de ejus hereditate fieri, erigi, & dotari in Ecclesia Cathedrali B. Mariæ Civitatis Nepefina unum Canonicatum, sive Cappellaniam cum dote scutorum 1000., & quia dari poterat casus, quod Antonius Testatricis frater supervixisset Francisco viro; in hac facti specie Testatrix demandavit, quod usufructus scut. 1000. pertinere deberet ad Antonium, & quod, eodem defuncto, Canonicatus, seu Cappellania erigeretur arbitrio memorati Francisci viri, & post ipsius mortem, scilicet Antonii, fiat Canonicatus, seu Cappellania prædicta arbitrio dicti Francisci.

Secuto Testatricis obitu, Franciscus in suo, quod condidit, testamento utens facultate sibi à Testatrice uxore attributa, mandavit, ut deveniretur ad erectionem Canonicatus, cum onere octo Missarum

singulis mensibus celebrandarum pro Anima suæ Uxoris, & suorum. Præsensus autem à Patronis ad hujusmodi Canonicatum sic cum dicto onere erectum, ac in eo institutus cum omnibus oneribus, & honoribus præensionem excitavit se non teneri ad dictum onus octo Missarum mensualium; Quæritur in hoc casu: *An, & ad quæ onera teneatur Canonicus?*

Putat dictus Canonicus se non teneri ad onus octo Missarum mensualium, tum quia illud non legitur impostum in Testamento Testatricis, ex cujus bonis Canonicatus fuit erectus, tum quia hæc pia Testatrix voluit, quod erigeretur Canonicatus, seu Cappellania, hinc inferendo, quod Franciscus ejusdem vir non poterat devenire ad erectionem Canonicatus in simul; & Cappellaniæ, injungendo etenim Canonico onus Missarum, unionem fecisse videtur Canonicatus, & Cappellaniæ contra voluntatem Fundatricis.

Accedit reddituum tenuitas, ex calculo siquidem per Canonicum exhibitio desumitur nihil aliud remanere pro quotidiano servitio Chori, quàm modicam summam scut. 10. annuorum, & obulorum 15., statim ac admittitur onus controversum celebrationis, ad quod absurdum de medio tollendum infert se non posse adstringi ad celebrationem octo Missarum mensualium, quæ important quolibet anno scuta 19. & obulos 60. calculando unam quamque Missam ad rationem juliorum duorum, ex quo agitur de onere perpetuo.

- 1 Quibus tamen non obstantibus S. Congregatio Concilii in Nepefina Canonicatus 4. Februarii 1719. rescripsit supradictum Canonicum teneri ad onera expressa in Testamento Francisci, & ad onera, ad quæ tenentur alii Canonici. Et quidem optima ratione, quia Testatrix voluit quod Canonicatus erigeretur arbitrio Francisci viri, & Franciscus vir illum, accedente auctoritate Ordinaria, erigere curavit cum expressione oneris supradicti; quæ erectio utpote munita consensu Ordinarii est attendenda, & prævalere debet Testamento Fundatricis, ad effectum agnoscendi, qualitates, & onera Canonicatus, juxta Auctoritates superius lato calamo relatas. *Part. II. Can. I. & II. Cas. VII.*

Cas. VII. n. 9. Et quia onus celebrationis octo Missarum quolibet mense non est incompatible cum Canonicatu; Ac etiam quia Missæ fuerunt celebratæ spatio septuaginta circiter annorum, itaut de observantia non sit dubitandum; ac denique quia non videtur subsistere tenuitas reddituum, cum Canonicis præter scuta octo; quæ cuilibet ex Canonicis distribuuntur, habeat quolibet anno scuta 40. cum dimidio, & onus impositum Missarum, illud calculando ad rationem manualis, non excedat summam scut. 9. & obul. 60.

ARGUMENTUM.

Erecta Cappellania pro Presbytero, qui celebrare debeat Missam; an ad eam præsentari, ac institui valeat Clericus, qui non sit actu Sacerdos?

SUMMARIUM.

- 1 Sacerdotium requiritur tempore collationis, sive præsentationis, quando annexio Sacerdotii est facta respectu actus, secus si sit facta respectu aptitudinis.
- 2 Annexio Sacerdotii respectu actus, quando adesse dicatur? Vide ibi.
- 3 Erecta Cappellania pro Presbytero, qui Missam celebrare debeat, ac teneatur, ad eam præsentari, ac institui potest Clericus, qui non sit actu Sacerdos.

CASUS IV.

Sequitur quartus Casus, qui ita se habet; Ad Cappellaniam vacantem per obitum Sacerdotis Angeli fuit à Principe Gaspare de Alteriis, ad quem pertinet jus præsentandi, præsentatus Balthassar in Acolytatus ordine, & in ætate annorum 23., & sex mensium constitutus. Sed quia in fundatione Cappellaniæ erectæ à san. mem. Clemente X. leguntur sequentia verba = *Duas perpetuas sine cura Cappellanas in prædicta Cappella nostra gentilitia pro duobus Presbyteris futuris Cappella gentilitia hujusmodi Cappellaniæ* Pars V.

nis, quarum unam, & alteram in singulis verò Dominicis, & aliis de præcepto Ecclesiæ festivis diebus, quilibet illorum unam Missam, ita tamén, ut Missarum celebrandarum Sacrificium juxta mentem nostram, per Cappellanos ipsos applicetur, celebrare debeant, & teneantur Apostolica auctoritate perpetuò erigimus, & instituimus = exorta proindè fuit controversa, an in Cappellania, ad quam Balthassar præsentari obtinuit, requiratur Sacerdotium actu; Unde quæritur = *An Balthassar institui valeat ad Cappellaniam, ad quam fuit præsentatus, non obstante, quod tempore præsentationis non esset Sacerdos.*

- 1 Pro incapacitate Balthassaris facit, quod quando annexio Sacerdotii est facta respectu actus, Sacerdotium requiritur tempore collationis, sive præsentationis, ad differentiam casus, in quo annexio Sacerdotii facta sit respectu aptitudinis, in hac quippe facti specie satis est, quod Sacerdotium intrà annum acquiri valeat.
- 2 Absque eo quod de annexione Sacerdotii respectu actus in hypothese dubitari posse videatur, ea etenim semper adesse dicitur, quando Fundator voluit, quod nominetur Sacerdos, vel quod Beneficium, seu Cappellania conferatur Sacerdoti, uti latè probat *Fagnan. in cap. ut Abbates à num. 37. usque ad 60. de etat. & qualitat., & in terminis Beneficii, ad quod eligendus erat Presbyter, qui celebrare debebat Missas omni hebdomada, quod qualitas Sacerdotalis fuerit necessaria de tempore præsentationis firmavit Rot. decis. 248. dec. 263. dec. 278. dec. 312. dec. 353. & dec. 364. coram Emerix jun.*
- 3 His tamen non obstantibus S. Congregationi Concilii placuit in hoc casu in *Romana Cappellania* 4. Febr. 1719. ad dubium respondere *Affirmativè*; ea ratione quia in terminis Sacerdotii nedum à jure, sed ab homine requisiti in Beneficio, sive in Cappellania, recepta videtur esse propositio, quòd illud non sit necessarium de tempore collationis, sive præsentationis, sed sufficere, quòd intrà unius anni spatium valeat obtineri. *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. n. 104. & seq., & illi Auctores qui qualitatem Sacerdotalem exposcunt de tempore collationis, seu Præsentationis, nihilominus admittunt*

contrariam opinionem esse in praxi receptam. *Amstaz. de Caus. piis lib. 3. cap. 5. num. 34. Castill. controuv. jur. tom. 5. cap. 91.*

à num. 38. usq. ad n. 51. Ad materiam hujus Casus, vide, quæ latè dixi superius, Par. II. Can. XXVII. Caf. XIV.

C A N O N V I I I,

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXIV. Cap. XIV.

IN pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, & Parochialibus ex earum Constitutionibus, aut ex prava Consuetudine observari intelligitur, ut in Electione, præsentatione, nominatione, institutione, Confirmatione, Collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem aliqujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatum, aut præbendarum, vel Partem Proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex Fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur, hæc cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis, aut fordida avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum Constitutionibus, sive Consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas, ac scandalosas rejiciant, & aboleant; Eos verò, qui adversus hæc, in præsentis Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra Simonicos editis, Sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit, non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, Consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam Apostolica Auctoritate confirmatis, de quarum subreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus, cognoscere possit.

COM-